

quid illud est, quod S. Thomas fatetur non constitui per privationem, et tamen speciem constitui fatetur, vera species moralis sit, an non. Si enim species nullo modo est, ut quid laborat D. Thomas inquirendo, et assignando constitutum ejus, et quod privatione non constituitur? Sed deberet simpliciter negare quod talis species non datur. Si autem est species non moralis, sed naturalis, seu in ordine physico, et entitativo, extra rem loquitur cum argumenta, quæ objicit contra se procedant de specie morali, et D. Thomas loquitur in materia morali, et expressis verbis mentionem facit de morali genere, ut patet in locis adductis pro prima propositione. Si denique illa species est vera species moralis, quantumcumque dicatur esse fundamentum, vel concretive, aut ex parte actus teneri, jam conceditur quod in linea, et ordine morali constituitur species per positivum ordinem, et illa non est species boni, aut indifferentis, cum versetur circa objectum pravum, et prohibitum; ergo est mala.

XXXIII. Et hoc ipsum convincit ratio, quia non potest negari quod peccatum etiam in linea morali consideratum non solum habeat aversionem a debito fine, sed etiam conversionem, et positivum ordinem ad objectum pravum, qui ordo, et conversio, etiam ut positiva est, et objectum tangit, moralis est, quia est voluntaria, et regulis rationis subjecta; de illa enim conversione ratio, et lex dictat; ergo est moralis prout sic, quia includitur in principiis moralibus, id est, ratione voluntarii, et regulabilis. Unde et in Scriptura non solum reputatur pro malo morali id quod aversionis est in peccato, sed etiam quod conversionis, et tendentiæ est ad objectum juxta illud Jerem. II: *Duo malefacit populus meus: me dereliquerunt fon-*

*tem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Ubi non sola aversio a Deo, sed etiam conversio ad illas cisternas dissipatas pro malo morali ponitur, cum distinguantur duo mala.

XXXIV. Nec illud est malum solum in esse, et in genere naturæ, quia est malum de quo conqueritur Deus, et quod imputat populo suo, malum autem naturæ non est materia querimonie divinæ, nec homini imputabile. At denique in illo loco Osee IX idem significatur, cum dicitur: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt.* Ex dilectione ergo accipitur abominatio in actu ipso, et in persona ratione objecti dilecti, ad objectum autem non comparatur actus per privationem, sed per tendentiam positivam, quia privatio solum comparatur ad formam oppositam, et privatam, non ad objectum amatum; ergo per tendentiam positivam, et non solum per privationem constituitur abominatio, et malitia moralis. Quare cum inveniamus in peccato positivam tendentiam præter privationem, seu aversionem, et quod illa tendentia sit moralis, et mala; ergo illa erit formale constitutum peccati in actu morali malo. Patet consequentia, quia ipsa natura actuum petit speciem suam habere ex objecto suo per tendentiam, et respectum positivum ad illud. Si ergo in actu peccati invenitur tendentia positiva ad objectum, eaque moralis, seu in linea morali, et mala, cur non constituet formaliter talem speciem mali actus, sicut alii actus constituuntur in suis speciebus per tendentiam positivam ad objecta?

XXXV. Secundum fundamentum nostræ conclusionis deducitur sic: Quia inter actum bonum et malum, vitium et virtutem invenitur non solum oppositio privativa,

sed etiam contraria in linea, et genere morali, et non solum in esse naturæ, et entitatis physicæ; ergo oportet quod utrumque extremum hujus contrarietatis sit positivum, et reale. Patet consequentia, quia in hoc distinguitur oppositio contraria a privativa, quod illa versatur inter extrema positiva, hæc vero inter positivum, et negativum, ut patet in tenebris et luce, cæcitate et visu, quæ privative opponuntur; contrarie autem opponuntur calor et frigus, album et nigrum. Antecedens autem habet duas partes. Prima, quod vitium et virtus, actus bonus et malus opponantur contrarie ut distinguitur ab opposito privative: secunda, quod hæc oppositio sit in genere morali. Et prima constat ex Aristotele, Augustino, et D. Thoma. Nam Aristoteles in capite de oppositis, in post prædicamentis expresse distinguens oppositionem privativam a contraria (quod est loqui de contrarietate rigorosa) ponit inter contraria sanitatem et languorem, justitiam et injustitiam, fortitudinem et timiditatem. Augustinus etiam in libro de perfectione justitiæ circa finem, inquit: « Quod vitium est qualitas secundum quam malus est animus; virtus autem est qualitas, quæ facit bonum habentem. » Ex quo loco colligit S. Thomas infra quæst. LXXI, artic. I, quod vitium contrariatur virtuti. Et cum loquatur de contrarietate positiva, quæ est per qualitatem, utique loquitur de contrarietate rigorosa.

XXXVI. S. Thomas idem affirmat, tum in loco supra citato secunda secundæ, quæst. VI, artic. II ad secundum, ubi dicit: « Deformatem peccati non solum importare privationem debitæ formæ, sed etiam dispositionem contrariam. » Ubi loquitur de contrario rigoroso, quia contraponit contrarietatem privationi; ergo distinguit illam ab op-

positione privativa. Et quæstione prima de virtutibus, art. I ad quintum dicit: « Actum peccati tollere actum virtutis directe per modum contrarietatis. » Et in hac prima secundæ, quæst. LIV, artic. III, probat habitum distingui specie per bonum, et malum: « Quia habitus bonus contrariatur habitui malo, sicut virtus vitio; sed contraria differunt secundum speciem; ergo habitus differunt specie secundum differentiam boni, et mali. » Hæc est probatio S. Thomæ in argumento Sed contra. Si ergo ex contrarietate probat differentiam specificam habitus, et ista differentia specifica in moralibus non est privatio, ut toties affirmat S. Thomas ubi supra; ergo admittit contrarietatem positivam, ut distinguitur a privativa, quia illa, quæ constituit speciem non est privatio. Idem etiam constat a simili, quia inter ægritudinem et sanitatem corporalem datur contrarietas positiva. Ergo etiam inter ægritudinem et sanitatem spirituales, quæ est virtus et vitium; tum etiam, quia a virtute ad vitium, et e contra datur latitudo vincenda, quia per assuefactionem paulatim itur de uno ad aliud, et acceditur vel receditur secundum magis et minus, quod est signum distantie positivæ, et contrarietatis, quia ubi datur magis et minus secundum utrumque extremum, datur maxima distantia, et illa constituit contrarietatem. Quod autem dicimus de habitibus, eadem ratio currit de actibus, quia actus, et habitus eandem retinent similitudinem, ex actibus enim generantur habitus similes, et habitus ad similes actus inclinant; ergo eadem ratio contrarietatis, quæ currit in habitibus, currit et in actibus.

XXXVII. Secunda vero pars antecedentis, quod hæc contrarietas sit in genere morali probatur, quia

virtus non contrariatur vitio nisi prout est secundum rationem, seu conformitatem ad illam, vel difformitatem, quia virtus consistit in medietate, et vitium opponitur illi per extremum, ut docet philosophus in secundo ethicorum, et D. Thomas infra quæst. LXIV, artic. 1. Sed virtus non consistit in medio, nisi prout est secundum regulationem rationis, et consequenter ut moralis, quia virtutem esse moralem est esse secundum rationem, seu regulari regulis rationis. Ergo vitium non contrariatur virtuti contrarietate positiva, nisi prout est in genere morali. Sed in isto genere morali constituitur species, quæ contrariatur virtuti; ergo constitutum illius, quod contrariatur virtuti est aliquid positivum, utpote contrarium contrarietate rigorosa; sed contrariatur illi species contenta sub isto genere morali; ergo constitutum speciei moralis, seu differentia specifica ut contraria virtuti, est aliquid positivum.

XXXVIII. Huic argumento non potest responderi, nisi duplici via. Primo, negando inter virtutem, et vitium dari contrarietatem veram, et rigorosam, sed solum privativam, quæ lato modo dicitur contrarietas, sicut etiam malum simpliciter, et in genere entis dicitur contrarium bono, cum solum sit privatio ejus: et sic illud nominat Aristoteles ex sententia aliquorum philosophorum ut advertit D. Thomas 1 p. q. XLVIII, artic. 1 ad primum, et tertium contra gentiles, cap. IX. Secundo, dicendo quod contrarietas positiva datur solum inter peccatum, et actum bonum, sumendo peccatum pro fundamento, seu concreto, non pro formali peccati, sic enim solum dicit privationem rectitudinis, et speciei bonitatis moralis, non vero speciem constituit. Quidquid autem antecedit ipsam privationem solum

est fundamentaliter, malum et præsuppositive, non formaliter et constitutive.

XXXIX. Cæterum prima solutio aperte negat Aristoteles loco citato, in quo non loquitur ex sententia aliorum, sed ex propria; loquitur autem ex aliorum sententia quando dicit malum simpliciter esse contrarium bono, ut S. Thomas advertit loco citato. Et certe negari non potest, quod inter actum bonum et malum, virtutem et vitium sit aliqua oppositio, et repugnantia unius cum alio. Inquiri ergo, quæ species oppositionis sit inter ista duo. Relativa enim hic locum non habet, cum non sint correlativa, nec se habeant ut terminus, et relatio: non contradictoria, quia non est inter esse, et non esse. Solum ergo est, vel privativa, vel contraria. Pure privata esse non potest; tum, quia Aristoteles hanc contrarietatem vitii et virtutis condistinguit contra privativam in dicto capite de oppositis; tum, quia D. Thomas affirmat non esse privationem puram malum morale, ut locis supra citatis vidimus, præsertim in hac quæstione XVIII, artic. V ad secundum, et infra quæst. LXXII, artic. 1 ad secundum; tum denique, quia in peccato commissionis non tollitur actus bonus per cessationem, et privationem sicut in omissione, hæc enim proprie est privatio actus boni moralis, commissio autem est actus, seu forma cui annexa, et consecuta est privatio boni, sicut e contra actui bono annexa est privatio actus mali. Ergo in actu malo, quando est peccatum commissionis, non potest privatio esse primo, et per se constitutiva speciei, seu malitiæ contrariæ, sed oportet quod privatio sit consecuta, et non solum consecuta ad actum in esse naturæ solum considerato, quia consequitur in actu illo privatio rectitudinis

ex eo quod sit actus ordinatus ad indebitum finem, seu ex eo quod sit commissio contra legem, non ex eo quod sit entitas talis actus abstractendo a lege, quod solum pertinet ad esse naturæ; commissio autem, et ordinatio, seu habitudo actus prout contra legem, moralis est utpote voluntaria, et contra legem. Ergo ante privationem datur in actu commissionis aliqua oppositio, etiam in genere morali contra virtutem, et hæc oppositio non potest esse nisi contraria. In genere autem naturæ isti actus contrarii non sunt, sed solum prout sunt conformes, vel difformes rationi, hoc enim sublato non restat contrarietas, aut repugnantia in istis actibus, ut patet in appetitu mulieris quando est propria et conjux, et quando non erat conjux; ex parte enim naturalis appetitus non est ibi contrarietas, sed ex parte conformitatis, et deformitatis ad rationem: conformitas autem, et difformitas ad rationem, et ad moralitatem pertinent.

XL. Contra secundam autem solutionem instauratur argumentum factum, quia vel fatemur dari propriam, et rigorosam contrarietatem inter virtutem et vitium, actum bonum et malum, vel non. Si non datur, reditur ad primam solutionem jam impugnata, et negatur Aristoteles, et D. Thomas. Si datur; ergo talis contrarietas stricte dicta essentialiter petit, quod utrumque extremum inter quod versatur, fit in eodem genere; contraria enim sunt, quæ in eodem genere maxime distant; sed unum extremum ex istis, scilicet bonum morale, seu actus bonus est formaliter, et positive in genere morali, et illi in quantum moralis est, contrariatur peccatum et vitium, si quidem in tantum contrariatur virtuti in quantum est contra regulas rationis, et

difformatur illis, quod ad moralitatem, seu regulabilitatem spectat; ergo peccatum, seu vitium ut contrarium virtuti, est in genere morali, quia debet constitui sub eodem genere sub quo virtus, et actus bonus, cum sint contraria, et consequenter sub eodem genere. Ergo non solum fundamentaliter sumendo peccatum, sed etiam formaliter dicit contrarietatem ad virtutem; quia sub ea formalitate debet sumi contrarietas ejus ad virtutem, sub qua virtus contrariatur, et contraponitur eidem. Virtus autem, et actus bonus contrariatur vitio non fundamentaliter, sed formaliter in genere morali; ergo etiam peccatum formaliter in genere morali, et non solum fundamentaliter, seu antecederet ad genus morale (quod solum est genus naturæ) contrariatur illi. Et sic species moralis peccati in ratione ipsa malitiæ moralis aliquo positivo formaliter constituitur, quia aliquo contrario, et illud contrarium positivum est, et in eodem genere cum bono opposito.

XLI. Circa id quod ultimo proponimus in nostra conclusione, quod ista species malitiæ moralis non sit denominatio extrinseca, vel relatio rationis dissonantiæ ad naturam rationalem, et regulam rationis in actu peccati commissionis, quod est contra sententiam Vazquez, et Cano, in eisdem principiis fundatur, quia actus non habet dissonantiam ad naturam rationalem, et ad regulas rationis, nisi mediante attingentia objecti, quia actus voluntatis trahit, et sumit abominationem, id est, deformitatem, et malitiam ex objecto, juxta illud Osee IX: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*; nec lex, aut regula rationis mensurat, et regulat actum, nisi prout attingit objectum; ideo enim actus voluntatis circa adulterium, aut homicidium est malus,

quia objectum ipsum scilicet adulterium, vel homicidium prohibitum est, et contra legem. Et sic prohibitio, aut regulatio legis non tangitur ab actu, nisi in suo objecto attacto a se. Posita autem prohibitione, aut regulatione legis circa objectum, ipse actus omni relatione rationis, aut denominatione semota, suamet realitate attingit tale objectum sic prohibitum, et sic dissonum rationi, sicut alii actus in aliis potentiis, et in ipsamet voluntate sua realitate, et propria natura attingunt objecta sua, etiamsi sint objecta ficta, aut aliquid rationis, aut denominatione extrinseca affecta, ut patet quando per actum voluntatis desideramus dignitatem aliquam, vel honorem, qui consistit in denominatione aliqua extrinseca, sicut est aliqua jurisdictio, vel præeminentia, ut esse doctorem, judicem, etc. ergo similiter actus, qui attingunt objectum prohibitum, vel lege regulatum, aut dissonum rationi, sua realitate, et propria vi actus attingunt tale objectum, et talem dissonantiam, seu pravitatem in objectu repertam. Hoc autem sufficit ut actus dicatur moralis, et pravus, quia per talem attingentiam, omni alio remoto, attingit objectum difforme, et abominabile, quia est objectum prohibitum, et dissonum legi, et eadem attingentia sufficit accipere speciem ab objecto, imo nulla alia relatio, vel denominatio potest esse ratio ebibendi, et sumendi speciem ab objecto nisi illa tendentia intrinseca, et ordo, ac pro pensio propria actus ad objectum, sive objectum sit realiter existens, sive non, ut patet inductione in omnibus aliis actibus voluntatis, et intellectus, qui versantur circa objecta sua, etiam non realia, nec existentia, quæ suo intrinseco, et transcendentali ordine specificantur ab objectis; ergo idem erit in

isto actu peccati. Nec id potest fieri mediante alia denominatione extrinseca, vel relatione rationis, nisi tantum attingentia ista, et ordine proprio actus erga objectum.

XLII. Dices: In ipsomet actu resultat dissonantia erga naturam rationalem, quæ non est objectum actus, sed terminus hujus disconvenientiæ, sicut etiam resultat privatio rectitudinis debitæ. Cur ergo non consistet in ista dissonantia ad talem terminum ratio peccati, sicut in illa privatione a multis privatur.

XLIII. Respondetur ob eandem rationem, nec in privatione, nec in dissonantiis constitui, quia tam privatio illa, quam dissonantia supponunt in actu attingentiam objecti pravi, id est, dissoni regulis rationis, et deformis atque abominabilis, et illa attingentia est sufficiens haurire, et sumere ab objecto speciem pravitatis, et malitiæ, quia species etiam moralis in actu ab objecto sumitur. Sola autem attingentia, seu ordo actus ad objectum est ratio sumendi specificationem ab ipso, non privatio, quæ non tendit ad objectum, sed ad oppositum quo privat, non relatio dissonantiæ, quæ est ad naturam rationalem, seu regulam, cui non consonat, non ad objectum, quod specificat, et quod istis regulis afficitur, et sic affectum, vel difformatum attingitur ab actu, priusquam ad regulas referatur dissonando. Non alia denominatio extrinseca, quia hæc non facit tendere, et attingere objectum; sed provenit ab aliqua forma reali in alio existente, ut esse visum a visione. Et hæc non assignatur, quænam sit: et si est realis, eadem difficultas est quomodo sit a Deo forma illa, quæ talem denominationem extrinsecam præbet malitiæ: sicut si esse visum esset peccatum, visio a qua proveniret, non esset bona, nec a Deo.

XLIV. Quod si inquiras: Si in actu ex attingentia objecti pravi resultat in ipso actu, et privatio et relatio dissonantiæ, quodnam ex istis prius se habeat, et communicetur actui, privatio, an relatio dissonantiæ.

XLV. Respondetur prius convenire privationem, quam relationem illam dissonantiæ. Etenim hæc est optima causalis, ideo actus dissonat naturæ rationali, quia non habet conformitatem, neque mensurationem rectam. Prior est ergo privatio rectitudinis, ejusque defectus, quam dissonantiæ relatio, cum hæc ex illa oriatur, ut ex causali. Et hoc etiam deducitur a simili, quia ex alicujus formæ introductione in aliquo subjecto, verbi gratia, ex calore, primum quod consequitur est privatio, et corruptio oppositæ, verbi gratia, quod frigore privetur; quod vero sit disconveniens subjecto talis formæ introductio, seu relatio disconvenientiæ, consequitur ex tali privatione, eo quod forma illa disconveniens alicui subjecto est, quæ tollit ab illo convenientem formam, quasi ex ablatione convenientiæ resultet relatio dissonantiæ. Et sic eo etiam quod actus aliquis tollit debitam commensurationem, et rectitudinem, resultat quod sit dissonans, et disconveniens naturæ illam convenientiam poscenti. Unde ex hoc etiam aliqui probant contra Vazquez non consistere formale peccati in relatione dissonantiæ, quia relatio ista supponit in ipso actu privationem rectitudinis, et privationem convenientiæ, nec illa est negatio solum, sed privatio, quia est carentia rectitudinis debitæ, et cujus capax est subjectum: ergo est privatio. Si autem supponit relatio dissonantiæ privationem rectitudinis, jam supponit malitiam moralem, quia illa privatio malum est, non nisi morale, quia est privatio, et defectus rectitudinis moralis.

XLVI. Nec sufficit dicere, quod malum morale non est malum absolute, sed relate, scilicet in ordine ad naturam rationalem, et ita quousque adveniat ista relatio non est malum morale.

XLVII. Contra enim est, quia illa privatio in vi privationis sufficit tollere omnem bonitatem moralem, quia tollit omnem rectitudinem, cum sit ejus privatio; ergo sufficit introducere malum morale. Constat enim quod sic tollit rectitudinem, tollit bonum relati, scilicet id quod est bonum ipsius hominis; ergo est malum relate, id est, privatio bonitatis moralis, quæ erat bonitas relate, id est, respectu naturæ rationalis, quia est malum ipsius hominis, et naturæ rationalis. Unde hoc est maxime observandum pro explosione sententiæ Vazquez, quod quando dicitur aliquid esse bonum, vel malum relate, et in ordine ad aliud, non ipsa relatio est quæ est bona vel mala, aut quæ constituit bonum vel malum, sed res ipsa, seu forma est bona vel mala relate, verbi gratia, calor est bonus, seu conveniens igni, non ratione relationis, sed ratione sui, et similiter frigus est disconveniens, relatio vero convenientiæ, aut disconvenientiæ consequitur, non vero ipsum bonum, vel malum constituit. Antecedenter ergo ad relationem dissonantiæ datur in peccato ratio mali, seu disconvenientis, et defectuosæ mensurabilitatis, quæ utique morale malum, seu malum rationis constituit, inde vero sequitur illa relatio. Eadem autem ratione, nec privatio ipsa, seu carentia formaliter sumpta est constitutum formale mali moralis, quia hæc privatio consequitur in actu ex attingentia objecti pravi, et finis indubiti. Ideo enim actus habet privationem rectitudinis, quia attingit objectum non rectum, neque regu-